

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Pro-Rector Academiæ Fridericianæ Jo. Fridemann
Schneider, Phil. Et Jur. D. Log. Ac Prim. Phil. Ord. Jur.
Extraord. Professor, Vna Cvm Professoribus ...**

Schneider, Johann Friedemann

[Halle, Saale], [1715?]

VD18 90810147

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9)



21
PRO - RECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
JO. FRIDEMANN
SCHNEIDER,

PHIL. ET JUR. D. LOG. AC PRIM. PHIL. ORD. JUR.
EXTRAORD. PROFESSOR,

VNA CVM

PROFESSORIBUS RELIQUIS
CIUES ACADEMICOS

AD NATALES

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

PIE AC DEUOTE CONCELEBRANDOS

HUMANISSIME INVITAT ET HORTATUR.

Typis ORPHANOTROPHEEI.



PACEM ET GAUDIUM

In agnitione Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi!

CIVES!



Uotquot olim externis V. Testamenti privilegiis gaudi sunt, *Messiam* expectarunt, in eiusque aduentu spem & consolationem præcipuam, rebus maxime aduersis, reposuerunt. Nec iniuria sane salutem e *Judeis* orturam esse credidit ea gens, quæ *Semi*, quæ *Abrahami*, *Isaaci* & *Jacobi* proles erat, quæque, ex diuersis licet vltimi huius Patriarchæ liberis descendens, in vnum tandem *Judaorum* nomen coaluerat. Eam enim in spem promissionibus adducta erat, quibus Deus maiores eius modo nominatos impetierat, (Gen. IX, 27. XII, 2. 3. XVII, 19. 21. XXII, 16. 17. 18. reliqua.) quæque, repetitæ subinde, luce donatæ fuerant clariori. Nam ad *tribum* primo, (Gen. XLIX. 8. conf. Ebr. VII, 14. Apoc. V, 5.) deinde ad certam tribus illius *familiam*, (2. Sam. VII, 12. 13. 14.) vnde is, qui promissus esset, prodire deberet, oracula illa antiquissima fuerant restricta. *Locum* etiam, vbi ille expectandus esset, (Mich. V, 2. conf. Matth. II, 4. 5. 6.) Spiritus S. designauerat. Addita porro *temporis*, quo esset appariturus, circumstantia (Dan. IX, 25.); ne dicamus nunc de ipsius *temporis signis* * variis, aliisque ipsius personæ *γωαγγελισται*, quibus ea posset ab omnibus reliquis hominibus liquidissime internosci. Non mirum igitur, spem venturi *Messiae* in animis huius gentis magnopere confirmatam fuisse, & ipsum salutis principem huic sententiæ, quod *salus sit e Judeis*, Joh. IV, 22. aperte patrocinari.

In

* Vid. *Camp. Vitringa typum doctr. prophetice*, p. II, c. 5. 6.

In eo autem quam plurimi de gente Judaica oppido fallebantur, quod Abrahamicae benedictionis heredes se esse censerent, qui apud animum cogitabant: *patrem habemus Abrahamum*, (Matth. III, 9.) *licet in vestigiis fidei patris illius sui non incederent*. (Rom. IV, 12.) Error erat, omnes, qui ex patre essent Israele, esse Israelem, & filios Dei, qui filii essent carnis. (Rom. IX, 6. 8.) Fundamentum quidem spei ac solatii recte se habebat, quando in se spectabatur. Habebant enim utique *promissiones factorum*, uti Paulus vocat Eph. II, 12. Verum peruersae applicationis vitium in eo erat, quod e promissione spirituali (cuius sensum genuinum, probe a patribus perceptum, ipsi in dies plus plusque corrumpabant) non nisi carnalem exsculpere consolationem, & temporalem quasi surripere utilitatem conarentur. Gentem se ducebant, *quae institutam faceret, & ius Dei sui non dereliquisset*. (Jes. LVIII, 2.) Hoc unicum vero putabant sibi deesse, quod non ex voto *supra excelsa terra veherentur*, (v. 14.) nec in exoptato reipublicae flore gentibus reliquis dominarentur. Atque hoc ipsum illud erat, quod sibi tandem etiam ex adventu *Messiae* promittebant. De animae autem statu ac conditione, quae requirebatur ad consequendam veram Abrahami benedictionem, spirituales profecto & aeternam, plerisque ne in mentem quidem veniebat, serio cogitare, fallissime persuasis, venturum *Messiam* (perinde ac regionem Canaan, quae Israelitis in externam hereditatem cesserat,) toti genti, adeoque ob solum Israelitarum nomen, piis impiisque profuturum. Commune igitur omnium Iudaeorum, bonorum pariter atque malorum, votum, communis spes, commune solatium erat promissus ille & suo tempore advenaturus *משיח מלך unctus dux* (Dan. IX, 25.) *מלך dominator* (Mich. V, 1.) *נשיא princeps* (Ezech. XXXIV, 24.) *מלך rex* (Jer. XXIII, 5. Zach. IX, 9.). Boni hac spe atque isto solatio bene utebantur, inter quos erant *Simeon, Anna prophetissa*, alique, qui eo ipso tempore, quo Christus nascebatur, redemptionem exspectabant Hierosolymis; pessime autem in securitatem carnalem ac manifestam sui perniciem abutebantur praecleara illa spe Israelis (Jer. XIV, 8.) mali, inter quos erat ipse *Herodes*, & cum eo *primarii sacerdotes & scribae populi*, a quibus ille percontabatur, *ubi Christus esset nasciturus*. (Matth. II, 3. 4.)

Quid autem in hoc tam corrupto religionis statu officii sui esse
): (2 se

se, genuini ac veri Dei serui crediderunt? Intellexerunt sane, ingentes illas ac pereximias Dei de Christo promissiones esse spirituales, quemadmodum eas omnes *Maria mater Domini*, *Zacharias pater Joannis Baptiste*, *Simeon*, *Anna*, per Spiritum S. teste Luca c. I. II. Euang. exposuerunt. Nec quidquam iis certius fuit, quam hoc, quod Messia nemo consors sit futurus, nisi qui in vero salutis ordine iugum ipsius in se attolleret. Quid egerunt igitur, quando summi ac praestantissimi solatii abusum non iam serpere, sed instar morbi epidemici palam inualescere, obseruarunt? Num desinebant de Christo varicinari, quo miseri illi desinerent tandem fucoso solatio caecam mentem deludere? Aut num solam in posterum maledictionem genti a fide maiorum degeneri adnunciatum ibant, ne videlicet illa pergeret benedictionem & gratiam Dei transferre ad lasciuiam? Minime vero! Hoc autem factitabant. Ansa ex ipsis prauis ætatis suæ moribus arrepta, instinctu Spiritus S. factam in libris Moysi & in Psalmis spem aduentaturi Messia nouis identidem confirmabant vaticiniis, pristinis haud obiter inculcatis; diligenter autem sæculi sui homines monebant, ut sibi cauerent ab omni oblatæ gratiæ abusu, ac verbis expressis eos docebant, ad quos solatium illud pertineret, quique e contrario falsa spe & irrita consolatione semet ipsos turpiter fallerent. Hanc viam Moyses iam ingressus erat, ut alibi, ita in primis in illustri illo vaticinio de *Propheta*, quem Deus *suscitaturus sit e medio fratrum ipsorum* Deut. XIX. 15. 18. Hanc viam tenuerat *Dauid* in Psalmis, ut aliis, ita in primis II. XV. XXIV. XLV. XCV. utpote in quibus non tantum Christus tamquam Rex in monte Zion, sed etiam, quales ille agnitus sit subditos, & quam sancta futura sit regni eius administratio, quanta benignitate morigeros, quanta autem seueritate inobedientes sit, tractaturus, clare satis describitur. Eadem igitur via rem aggressus *Jesaias*, c. XXXIII, 2. ait: *Jehouah, gratiam fac nobis, Te expectamus.* Quid autem sibi ab eo, quem cum gente sua expectabat, promittit? *Est itaque, ait v. 6. firmitas temporis Tui, robur omnis salutis, sapere Te & nosse: reuerentia Jehoue est thesaurus eius.* Quantum quæso illud est, quod agnitioni Christi, qua quis nihil aliud, nisi Christum, sapit & nouit, robur omnis salutis tribuit! Adjungit autem salutari illi Christi agnitioni reuerentiam Jehoue, atque hanc in thesauris Messia repositam esse, ait, nimirum ut intelligamus, *erummosum & miserabilem, & pauperem, & cæcum, & nudum esse* (Apoc III, 17.) quemlibet de Christo gloriantem, nisi ab ipso Christo ditatus, hunc thesaurum in corde suo possideat, reuerentiam puta Jehoue. Et porro v. 10. *Exsurgam, dixit Jehoua, nunc exaltabor, nunc extollam me.* Ergone omnes sine discrimine beato illo tempore, quod prædicat, exultare iuber? Absit! Audi vero quid dicat v. 14. 15. 17. *Expauerant Zione peccatores, corripuerat irem hypocrisis:*

tas:

ras: quis diuersabitur, aiobant, ex nobis cum igne consumente? quis diuersabitur ex nobis cum ardoribus perpetuis? qui ambulat iustissime, & qui loquitur rectissime, qui spernit lucrum ex fraudibus, qui excutit manus suas, ne teneat munus, qui occludit aurem suam, ne audiat cedes, & obliquit oculos suos, ne videant malum. Hic altissima loca habitabit: erunt propugnacula petrarum locus editus eius, panis eius dabitur, aqua eius stant erunt: regem in pulchritudine sua videbunt oculi tui, spectabunt terram longinquissimam. Sic propheta ciuibus suis Seruatorem sane praedicat, solatium autem ex aduentu eius redundans non impiis, non hypocritis, sed iis solis pollicetur, qui fuerint charitatem ex mundo corde & conscientia bona, & fide minime simulata (1. Tim. I, 5.) consecrati. Pari ratione idem ille Propheta c. XL, 1. ait: *Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus vester*. Sic vniuerso populo, puta Iudaico, promittit fore, ut post captiuitatem Babylonicam, quam in proxime superioribus instare praedixerat, fons omnis solatii aperiat, h. e. ut Messias adueniat. Verum ut omnes simul intelligerent, Deum suauissima compellatione populi sui hoc velle, ut tales se praebent cuncti, qui solatium illud capere, & eius ipsa re participes fieri possent, v. 3. & 4. de Iohanne, praecursore Christi, & poenitentiae concionatore vaticinatur: *Indeferto, inquiens, parate viam Jehouae, adaequate in solitudine aggerem Deo nostro. Omnis vallis attolletur, & omnis mons, collisque deprimetur, & abibit, quod curuum est, in planum, & salebrosa in conuallem*. Atque sic demum v. 5. futurum ait, *ut reueletur gloria Jehouae & videant omnis caro pariter os Jehouae locutum esse*. Quid, quaeso, hoc est aliud, nisi quod non omnes promiscue consolationis, e Christi aduentu capiendae, capaces fore, profiteatur? Confirmat isthuc egregie ipsum vaticinii huius implementum. Iohannes enim suo defungens officio ita hanc prophetiam compleuit, ut μεταβολαν, veram animorum mutationem, ad Christum iam praesentem ex voluntate Dei excipiendum, ante omnia requireret, imo, ut vera illum fide complecterentur, eoque in animarum salutem perfruerentur, vnice ab omnibus postularer, vnice inculcaret vrgeretque. Quae dicto loco in Iesaja sequuntur, talia sunt, ut idem testificentur. Id quod cuilibet euidentem esse poterit, si attente verba prophetae conferat cum verbis Petri 1. Ep. c. I, 21-25. & obseruet, Apostolum ad illam ipsam animorum mutationem ac regenerationem propheticum textum referre.

Idem Iesaias, quando officium Messiae c. LXL, v. 1. 2. 3. exponit, id quidem in primis hominibus solatio futurum esse declarat, & nemo non e mellifluis illo vaticinio intelligit, hunc characterem Christo quasi proprium ibi tribui, quem ipse sibi Matth. XI, 28. vendicat, *venite, inquiens, ad me omnes, qui fatigati estis & onerati, & ego faciam, ut requiescatis*. Verum

an omnibus fructum illum officii Christi pollicetur? Minime! Ecce enim, quam accurato studio Spiritus S. ibi describit eos, qui ipso actu consolatione forent impertiendi? *Mansuetos, pauperes spiritu, fractos animo, captivos* (sed ad libertatem anhelantes) *vinclos* (sed aperturam quærentes) *ac lugentes* Zionis denominat, tanquam verum, genuinum & vnicum consolationis Christi, re ipsa experiundæ, *Subiectum*.

Possent eadem verbi prophetici *ὑποπόρευτα* per omnes reliquos Prophetas nullo negotio demonstrari, sed satis fuerit, rem in se planissimam ostendisse digito. Addemus tamen primo prophetarum, quos sub hoc nomine pars insignis codicis S. comprehendit, ultimum ex ipsorum numero Malachiam. Is enim cap. III, 1. *Christi, Domini & angeli federis* adventum clarissimis verbis prædicens, mox addit v. 2, 3, 4. *Quis autem sustineat diem aduentus eius? Aut quis consistat, cum apparuerit? Nam ipse quasi ignis conflatoris, & ut sinegma fullonum est. Ut sedet conflans & purgans argentum, ita purgabit filios Levi, defecans eos velut aurum & argentum, ut sint Jehouæ, qui offerant munus iuste, & suauis sit Jehouæ munus Jehudæ & Ieruschalaimorum, ut diebus priscis, & ut annis antiquis.* Hæc quum sua in persona propheta interseruisset, prophetiæ, quod v. 1. ceperat, (dicens: *Ecce venturus est, ait Jehoua exercituum*) filium in ipsa venturi Christi persona prosequitur, & mox ad impios & hypocritas conuersus, quid his aduentante Messia immineat, diserte iis v. 5. his exponit verbis. *Accedam autem ad vos in iudicium; & ero testis festinantissimus contra præstigiatores, & contra adulteros, & contra iurantes falso, & contra oppresione detinentes mercedem mercenarii, viduam & pupillum, ac peregrinum pervertentes, neque timentes mei* (die nicht in wahrer, aufrichtiger und hertzlicher Furcht Gottes wandeln, noch sich von ihren Schlacken reinigen lassen, daß sie sich zu einer innigen und lebendigen Furcht Gottes bekehren und bringen ließen,) *ait Jehoua exercituum.* Ita sane propheta, quem diem desiderabilem aliis dixerat, eundem terribilem ac iudiciale aliis prænunciat; id quod versus finem suæ prophetiæ, pluribus & multo apertius declarat. vid. c. III. a v. 16. ad finem c. IV.

Hæc, Ciues! eum in finem vobis ob oculos posuimus, ut ipsi obseruaretis nostrorum temporum cum priscis illis parallelisimum. Omnes olim Judæi Messiam expectarunt; omnes nunc Christiani eum aduentasse credunt. Quemadmodum nullus fuit in illa spe, ita nec vllus in ista fide, in se spectata, error inest. Præcipuum ibi fuit solatium Christus certissime venturus: hic Christus manifestatus, cruci suffixus, pro nobis mortuus, sepultus, tertio die suscitatus, ad dextram Dei euectus, sacerdos perpetuus, rex æternus. Expectarunt illi aduentum Christi primum, nos secundum. Fundamentum solatii vtrobiq; verum in se est, ac solidum,

lidum. In applicatione autem, ut communis error fuit apud Iudæos, ita etiamnum est inter Christianos; quumque inter centum aut plures vix unus sit, cuius cor Spiritus Iesu Christi mutauerit, aut qui saltem agnoscat, se istiusmodi mutatione opus habere, & Spiritui S. eam per verbum operaturo obicem non ponat; promiscue tamen omnes suam in Christo fiduciam collocant, sufficere rati, quod nomen ei dederint, atque inde Christiani appellentur, licet mentem ei dare recusent, ut quod maxime. Vbi sunt, qui *superna querant, ubi Christus est, ad dexteram Dei sedens?* qui *superna, inquam, curent, non terrestria?* Aut, si qui verbis id præ se ferant, ubi sunt, qui id ipso constantissimo vitæ suæ tenore probare ac demonstrare serio studeant?

O Ciues! Ciues! utinam vestra melior, quam plerorumque mortalium, in hac parte conditio esset, nec communis ille, qui in falsa ac peruersa Euangelii applicatione consistit, error vestra occupasset præcordia! Verum enim vero verbis quid opus est, ubi adsunt rerum testimonia? Quid dicemus? laudabimus vos omnes? in hoc non laudamus! Cum Christo quidem dicimus Apoc. XXII, II. *qui iustus est, iustificetur adhuc* (talem se ipsa re demonstret, ut e fructibus magis atque magis possit iustus agnosci) & *sanctus sanctificetur adhuc*. Nemini a nobis laus sua, si quam meruit, derogabitur. *Veniet autem Dominus, qui & illustraturus est res tenebris occultatas, & manifesta faciet consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo.* (1. Cor. IV, 5.) Cæterum hoc a nobis dicendum vobis est vniuersis atque singulis, quod Paulus ad Timotheum scripsit Ep. 2, c. II, 19. 20. 21. 22. 23. *Solidum quidem fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc: nouit Dominus eos, qui sunt sui: & abscedat ab iniustitia, quisquis nominat nomen Christi. In magna autem domo non tantum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea ac testacea: & alia quidem ad decus, alia vero ad dedecus. Si quis igitur sese ab eis expurgarit, erit vas ad decus, sanctificatum, & accommodum vsibus Domini, & ad omne opus bonum comparatum. Iuueniles autem cupiditates fuge, sed seclare iustitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis, qui inuocant Christum ex mundo corde. Stultas autem & inerudititas illas quæstiones (non erudientes nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, & iuste & pie viuamus in presenti seculo. Tit. II, 12. sed pietatem potius subvertentes 2. Tim. II, 14.) auersare. Ita Apostoli Domini nostri Iesu Christi, Christum annunciantes, in secundo verbo vestigia secuti sunt veterum prophetarum, atque ita decet nos sequi vestigia vtrorumque, ne inuertamus Euangelium Christi, & euangelizemus præter id, quod accepimus.* (Gal. I, 7. 9.)

Eam vero ob causam hæc vobiscum nunc agimus, quo dies inest, celebranda *natiuitati Domini ac Seruatoris nostri Iesu Christi* consecrati.

crati. Agite dum igitur, considerate animorum vestrorum habitum, vtrum vere Christo suis addicti, an a Christi mente mens vestra sit aliena, & vita vestra vita Christi contraria, cogitate, idque, donec exploratam & perspectam eius rei veritatem habeatis, perpendite. Id si intermittatis, non nobis, sed Deo reddetis rationem. Si autem in hoc ipso nobis morem geratis, & vos aut frigidos aut tepidos in amore Christi esse deprehendatis, resipiscite, quæsumus vos, vt aduentans Christus, & gratiam suam vobis offerens, locum in animis vestris inueniat. Quod si non in lætas fidei vlnas, vt Simeon (Luc. II. 28.) eum recipere potueritis, saltem eum leuatis ad coelum seria peccatorum pœnitentia brachiis excipere studeatis. Venit ille in carnem, non vt in peccatis permaneremus, sed vt ex peccatis nos liberaret (Matth. I, 21.) Quinon igitur in peccatis perseueraremus, a quibus nos Christus liberauit? Aut quo pacto Christi nos esse participes crederemus, si peccatis, a quibus ille nos per sanguinem suum lauit (Apoc. I, 5.) & purificauit (1. Ioh. I, 7.) denuo immergeremur, atque nos inquinaremus? Absit hoc omni modo! Malumus nobis meliora de vobis polliceri. Agite vos autem, o Nostri! superate spem nostram, & festos hosce dies, immo omnem vitam vestram ita peragite, vt Christum in corda vestra venisse, & per fidem in iis habitare, ex moribus vestris eniteat & dispalescat.

P. P. IN ACAD. FRIDERICIANA VIGILIIS NATIVITATIS CHRISTI
ANNO clb 15 CC XV.



V1018

